

to urgeri plane possit ille, qui talia, licet forte falsa, pro veris tamen certisque admittit; hujusmodi tamen argumento facile utendum non est, nisi alter principia quaevis alia certa & evidentia, ex quibus illa veritas demonstranda est, temere inficietur.

C A P U T III.

DE MODO DOCENDI VIVA VOCE.

§. I.

Quaenam in hoc capite specialiter exponenda sunt?

De methodo docendi universè pluribus disputatum est *Capit. I. huj. part.* ac quae ibi dicta sunt, quemcunque seu scripto seu viva voce docentem spectant, ut veritates scilicet ordinata methodo seu taliter proponat, quo alter, qui docendus est, distinctam inde veritatum prius sibi incognitarum notitiam consequi possit, imo vere consequatur; quod ut fiat viva voce docendo, specialia quaedam & alia quidem in docente, alia in modo, quo utitur in docendo, & alia tandem in ipsis docendis requiruntur; quae requisita in capite hoc praesente paucis exponenda sunt.

§. 2.


Dotes in docente requisitae.

Dotes in docente requisitae plures sunt, quam quod in compendio omnes recenseri queant; quasdam igitur, easque magis generales modo hic indicare nobis sufficiet; sunt autem sequentes: 1. docere volens non ipsam modo disciplinam, quam traditurus est, sed & scientias cum eo connexas omnino calleat; praeterea 2. polleat habitu demonstrandi; item 3. instructus sit dono veritatem perspicue, expedite & cum suavitate, quadam proponendi; quae si quis sibi deesse deprehenderit adeo, ut nec data opera illa sibi comparare queat: quaedam enim ab indole magis, quam ab arte & industria pendent; ejusmodi omnino suadendum foret, ut missam faciat docendi provinciam, aliamque vitae rationem ineat: fatius enim est, quemadmodum nonnemo ait, non docere, quam cum aliorum ludibrio, irrisione, & utinam non etiam cum damno docere.

§. 3.

Observanda quoad modum.

Quoad modum a docente illud prae reliquis est advertendum, 1. ut in veritatibus quibusque proponendis demonstrandisque bona semper & ordinata methodo *vid. hac part. Cap. 1.* utatur ita, ut 2. Auditorum tamen genio & capacitati, quam sciscitando experiri studebit, sese adcommode. 3. Quae difficiliora sunt exemplis illustrare conabitur. 4. Ut fervorem in Auditoribus excitet, eosque sedulos reddat & adtentos, usum discendorum continuo



tinuo indicet & reipsa ostendat. 5. Ne denique continuata in seriis adtentione juniorum animi nimis defatigentur, jucundis aliquando digressionibus, moderatis tamen, & quae ad argumentum, de quo agitur, aliquid adhuc faciant, uti poterit.

§. 4.

Intuitu docendorum observanda.

Quandoquidem vero docens, utut praecepta legesque omnes adcuratissime observet, optatum tamen operae finem, Auditorum scilicet perfectum sperare non possit, nisi & ipsi quoque Auditores suum ad id conferant. Requiritur autem ex parte docendorum 1. capacitas ad ea, quae docentur, mente comprehendenda; quam cum docens docendo tribuere non possit; remittat potius, quos minus capaces, aut ineptos deprehenderit. 2. Discendi studium assiduum & indefessum; hoc in docendo excitare non raro penes docentem est, qui nihil propterea intermittat, quo illud excitetur. 3. Bona de docente existimatio; hanc sibi apud docendos comparare & constanter conservare adlaborabit docens.

